



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

I. Beatam dicunt Sacerdotes; quia Mater Sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

mendatum, etiamsi in se ipso vile & exiguum sit, gratum & acceptum reddi apud Deum, idque obtuam Deo id exhibentis dignitatem; Neque enim rejici ullo modo potest, aut respui, quidquid ipsa utpotè purissima, charissimo Filio præsentaverit. Sed hic monet *Guilielmus parvus in cap. 3. Cantico: apud Delr:* Fædas petitiones Mater Filio non offert, nec suscipit offerendas.

## CAPUT VII.

### Beatam dicit Virginem omnis hominum generatio in particulari.

1. Beatam dicunt Sacerdotes.

Quia Mater Sacramentorum.

**M**ater est; omnes enim per baptismum nascimur filij Ecclesiæ. In hac aqua nos Petrus illius Præses piscatur. Atqui *Gullel. in cantic. 4.* Virginem sic alloquitur. De te fluxit fons hortorum, per te venit baptismum fidelium. Illa est Puteus aquarum viventium, id est largientium vitam, & salientium in vitam æternam. Illa est Mater Eucharistiæ, seu panis illius. *S. Maximus Taurinensis homil. de Dominica in Ratis.* Legimus in libro Moyse de manna vermiculos procreatos, digna sanè, & justa comparatio; siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Iesus de Virgine procreatur, quin potius ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis, & Virgo: quæ cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. Illa juxta *Epiphani. orat. de laud. Deip.* Mensa fidei intellectualis, panem vitæ mundo suppeditans. De Sacramento Confirmationis videtur idem locutus *S. Epiphani. de laud. Virg.* B. Virgo Nubes est lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxit Christum. Nubes cælestis quæ tonitruum Spiritus S. in se ipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus S. in universam terram ad producendum fidei fructum cum impetu dimisit.

O 3

De



De reliquis Sacramentis per quæ adoptamur in filios Dei, vel gloriam augemus, dictum supra tit. i. c. 4. *Alb. M. super missus cap. 74.* Licet Beatissima Virgo Sacramentum Ordinis non receperit, quidquid tamen dignitatis vel gratiæ in ipso confertur, de hoc plena fuit: in ipso enim confertur septiformis gratia, hæc autem omnifariam gratiæ plena fuit. Item tria sunt in Sacramento Ordinis, Dignitas ministerialis, Potestas spiritualis, Administratio executionis. Hæc autem tria Beatissima Virgo habuit in se æquipollenter, & excellenter, Ministri Ecclesiæ habent dignitatem beneficalem per characterem excellentiæ, Beatissima Virgo habet coronam Ecclesiæ militantis, & Ecclesiæ triumphantis. Undè Summus ministrorum Papa scilicet appellatur, & est Servorum Dei Servus; hæc autem est Regina & Domina Angelorum, ille Servus Servorum Dei, ista Imperatrix totius mundi.

Item in ministris est potestas spiritualis delegata à Deo, vel subdelegata vicaria, in ipsa autem est plenitudo potestatis cœlestis perpetua, ex auctoritate ordinaria. Item in ministris est executio ligandi & solvendi per usum clavium, in ipsa autem est dominandi potestas legitima ad ligandum & solvendum per imperium, & sic quidquid est dignitatis & gratiæ in ordinibus in genere, contra B. Virgini minimè defuisse.

Pergit cap. 79. Sed nè videatur virtutes aut dignitates generales habuisse, & specialibus caruisse, dicimus ipsam singulorum ordinum dignitates per æquipollentiam possedisse. Habuit cum Exorcistis expulsionem dæmonū. Undè Gen. 1. *Ipsa contorsit caput suum.* Et Judith Holofernem interfecit. Et Hester vicit Aman. Cum Ostiarijs habuit introductionem mundorum, & exclusionem immundorum. Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur. Princeps ingreditur per eam.* Quasi diceret: Porta hæc principem & imitatores suos introducet, & indignus clausa erit. Habet etiam cum Acolythis illuminationem. Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora consurgens?* Num. 24. *Orietur stella ex Jacob.* Habuit cum Lectoris omnium Prophetiarum expositionem ad literam in se ipsa, undè Mat. 23. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium:* doctrina est disciplinæ Dei. Habet cum Subdiaconis doctrinæ Apostolicæ ostensionem, undè significatur per arcam, in qua fuerant Deutonoromius, & Manna, id est Divina Sapiencia. Habet cum Diaconis Verbi Domini conservationem, alijs ad scribendum narrationem, consiliorum Domini perfectam imitationem. Undè Luc. 2. *Maria conservabat omnia verba hæc.* Habet cum Sacerdotibus Dominici Corporis per se ipsam formationem, tractationem, communicationem, hoc est quod corpus Dominicum mediante ejus verbo



verbo & consensu, de carnibus & sanguinibus eius formatu fuerit, & ipsum familiarissime & diutissime tractavit, & in cibum, & potum communicavit, & per hoc nos omnes ad jugum suum suave, & onus leve, charitatem scilicet, ligavit, & ab omnibus penis ac culpis, non solum solutos ostendit, sed etiam absolvit juxta illud Ioan. 6. *Qui manducat carnem meam &c.*

Habet cum Episcopis non solum Clericorum ordinationem, præbendarum collationem, templorum consecrationem, Sacrarum Virginum velationem: Ordinatur enim Episcopus Sacerdotes per Sacramenti collationem, B. Virgo per continentiae obligationem, juxta illud Isai: 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini &c.* Habet autem cum Papa omnium Ecclesiarum sollicitudinem, potestatis spiritualis plenitudinem, privilegiatorum actuum universitatem. *Alberto totidem ferè verbis subscribit S. Antoninus p. 4. tit. 15. c. 16. parag. 2.*

### 2. Beatam dicunt Reges. Quia Regnorum est Præsidium.

Nos enim Christiani te solâ, seu præsidio inexpugnabili fruimur dixit 9. *lan. ode 9. S. Theoph. in Men.* Cui accedit *S. Sabbas 17. Jan. in Vesp.* Prosequimur te laudibus ô Deipara tanquam Civitatem inconcussam, tanquam Murum nullis arietibus rumpendum, tanquam infractum Tutamen & Refugium nostrarum animarum. Et rursus idem qui supra *S. Theoph. 1. Jan. ode 5.* Nos qui te tanquam muro abundè munimur, præsidio tuo circumvallati. Et *S. Joan. Damasc. 22. lan. ode 3.* Salve potentissimum Christianorum Munimen. At cum *S. Sabba in Men. 24. Febr.* Tu quæ miserum oppressorum statum emendas, quæquæ de manibus hostium eripis debiles, custodi ô Deipara civitatem, ac populum tanquam Pacorum, qui oppugnantur, & in belli tempestate Tranquillitas vera, & unica, denique Præsidium Christianorum.

Canamus huic Virgini cum *S. Ioseph Confess. in Men. 26. April.* O Virginea Civitas Dei, de quo dicta sunt gloriosa! hanc addictam tibi Civitatem, & omnem ditionem illi connexam, cum ab omnibus periculis, tum à fame præsertim ac barbarorum furore custodi, tanquam unica, & aded certa Tutela fidelium, quæ confundi neminem sinat. Alludit ad Constantinopolim quam teste *Zonara lib. 3.* Imperatores Græci Virgini dedicârunt: uti *Stephanus Rex suam Hungariam,* *Emanuel Rex Lusitanorum* recenter repertas *Indias* teste *Maff. lib. 2. in isto hist.* *Eduardus Rex Angliam,* *Carolus Magnus* primum quod erexit templum *Aquis-grani*